



יהוה


INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER. FVNDATA MDCCCVIII.
Ps. CXIX. 169.
כדברך
הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος
ὁ σος
αληθεια
εστι
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

116 30

GRAECAE LINGVAE

DIALECTI

RECOGNITAE OPERA

MICHAELIS MAITTAIRE

POST IOH. FRED. REITZIVM

QVI

PRAEFATIONEM ET EXCERPTA

EX

APOLLONII DYSCOLI GRAMMATICA

ADDIDERAT

TOTVM OPVS RECENSVIT EMENDAVIT

AVXIT

FRID. GVIL. STVRZIVS.



LIPSIAE

APVD I. A. G. WEIGEL ET A. G. LIEBESKIND IN COMM.

LONDINI

APVD I. PAYNE ET MACKINLAY

MDCCCVII.



NOBILISSIMIS ADOLESCENTIBVS

DOMINO

MARCHIONI DE GRANBY

DOMINIS

ROBERTO ET GEORGIO

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS

RVTLANDIAE DVCIS

FILIIS

S. P. D

MICHAEL MAITTAIRE.

Opusculum, quod vestris, ADOLESCENTES NOBILISSIMI, *nominibus inscribitur; et vobis, quibus offertur; et mihi, qui id offero; arbitror satis convenire. Si enim vestrae aetatis, eorumque, quibus in Schola Regia Etonensi sub Magistris Peritissimis instituitur, studiorum ratio habeatur; quid ex re magis est vestra, quam in Grammatica, cuius fundamentis omnes Artes Liberales et Disciplinae innituntur, exerceri? Et quid meo, quo erga Vestram Clarissimam Familiam obstringor, officio videtur magis consentaneum; quam a me, qui in Vestri Praestantissimi Parentis aedibus aliquantulum operae et temporis posui, ut Vobis ad prima Grammaticae Latinae Elementa aditum aperirem, quaedam Graecae etiam Linguae initia proponi? Porro cum nemo melius parentes demereatur, quam qui Liberis inservire studeat, non aliter potuissem meum in* PRAENOBILEM RVTLANDIAE DVCEM *obsequium testari, quam si voluntatem ad*

commoda Filiorum promovenda propensam declararem. Munusculum igitur libenter et benevole accipietis: meae erga Vos observantiae testimonium; meorum pro Vobis votorum pignus; et, qualecunque mea tenuitas dare potest, in Vestris scholasticis exercitiis, conatuum specimen. Pergite, quo pede coepistis, HONORATISSIMI ADOLESCENTES. Verum quoniam animos impellunt exempla, nullaque fortius ac propius quam domestica; neque hortatu neque hortatore indigetis: quibus adest, quem praeeuntem sequamini, qui DVCIS non tantum titulo specioso cum multis fruitur, sed etiam officio utili cum paucis fungitur; cuius ductu et auspiciis in vita publica privataque viam inibitis tutissimam: cuius Nobilitati ab antiqua stirpe per ius haereditarium derivatae, et affinitatum illustrium coniunctione firmatae praelucet Nobilitas Longe Major, et vera, quippe Ipsi propria; nempe rarissimum nunc, pertinax intemeratae virtutis et generosae probitatis studium, cum bonarum literarum amore, et mira indolis suavitate, qua omnes sibi devinctos tenet, coniunctum. Si itaque titulos, quos ordo Natalium ad Vos detulit, mereri et ornare cupiatis; si Vestrae patriae prodesse; Vestri PARENTIS Insignissimi vestigiis insistite. Valete.

Londini. cIↃIↃccxxxvII.
III. Kalend. Octobris.

SECVNDAE EDITIONIS PRAEFATIO.

Tibi risum excutiet, Amice Lector, Senex Elementarius repuerascens: hominemque miraberis, affecta aetate, Grammatica rudimenta repetentem, et sub ipsis pene vitae metis ad carceres revertentem. Verum est, quod dici solet: *Bis pueri senes.* Annis prope abhinc triginta Commentariolum de Graecae Linguae Dialectis in usum Scholae Regiae Westmonasteriensis, quae me educaverat, exaravi: et quantulumcumque frugis sit, quod apud illam bonarum literarum Nutricem decerpseram, eidem gratus consecravi. Timeo, ne non multum adjumenti iste immaturus mearum vigiliarum foetus contulerit. Aliis enim datum est doctioribus, ut possint literas promovere, mihi vix aliud amplius, quam ut velim. Forsan igitur roges, quid me impulerit, ut miscellam istam crudamque farraginem, crambeu recoctam, iterum importunus obtruderem, et exoletam ad praelum revocarem. Non equidem fui, aut sum tam praetumidus mei nominis aut mearum nugarum amator, ut easdem in conspectum saepius emittendi sim avidior; et non malim securus latere, quam me et meas merces minus vendibiles censurae et cachinnis exponere. Quod Grammatica haec Adversaria ex tenebris et oblivione prodeuntia periculosam publici judicii aleam iterum subeant; consilio factum est, non meo, sed biblio-

commoda Filiorum promovenda
rarem. Munusculum igitur l
accipietis: meae erga Vos o
nium; meorum pro Vobis v
qualecunque mea tenuitas d
scholasticis exercitiis, conat
gite, quo pede coepistis,
ADOLESCENTES. V
impellunt exempla, nul
quam domestica; nequ
indigetis: quibus adest,
mini, qui DVCIS n
cum multis fruitur, s
paucis fungitur; cui
publica privataque vi
Nobilitati ab antiqu
derivatae, et affir
firmatae praelucet
quippe Ipsi propr
tinax intemerata
studium, cum b
indolis suavitat
coniunctum.
ad Vos detulit
patriae prod
vestigiis ins

Lon

JOAN. FRED. REITZII
PRAEFATIO.

Non exigua hujus operis de Dialectis utilitas et percommodus ordo in eo observatus me permovere, ut absente Auctore Cl. *Maittairio* iteratae ejus editionis curam in me suscipere non detrectarem; neque enim alium in hoc genere librum novi, qui huic par haberi possit, quive auctoritates tam accurate indicet. Etsi enim varias Dialectorum terminationes atque idiomata satis collegisse videtur *Aem. Portus* in Lexico Dorico et Ionico, non tamen est quod huic tuto confidas, propter multa vitiosae scripturae menda, quae etsi peritos minus offendere solent in aliis Auctoribus, ubi ex filo historico sensus facilius detegi, et quod in una literula, in accentu aut spiritu peccatum est, ab legenti sponte corrigi potest; tamen quod ibi leve erratum recte vocaveris, id in hujuscemodi libello eo gravius erit peccatum, quia in harum grammaticarum minutiarum variatione maxima pars doctrinae de Dialectis consistit. Quare, quum Auctore vivente non aequum esset observationes aut notas a me addi, et quum opus suum jam recognoverit atque haud paucis in locis auxerit ipse, ego id mihi potissimum negotii relictum sentiebam, ut quam emendate omnia prodirent, et pauca illa quae in priore editione restabant typographica vitia, diligenter corrigerentur. Quod quidem ita praestitum esse adfirmare ausim,

ut nova errata, quae nulla arte evitari posse, omnes norunt, tam exiguo numero fore confidam, ut vix quidem eorum catalogum in calce libri exhibere, operae sit futurum. Ne tamen nihil addidisse dicar, visum fuit appendicis loco celebris Grammatici *Apollonii Dyscoli* fragmenta adprime huc facientia, numquam ante, quod sciam, edita, ac nonnullis in locis a nobis correcta adjicere, de quibus ante, quam quae monenda habeo, profero, non possum quin istum Clar. *Maittairii* libellum omnibus Graecae linguae studiosis, maxime juvenibus nostris, commendem. Et quamvis nostri juvenes non eo progrediantur, ut adcuratam Dialectorum notitiam in scholis adquirant, et ne ego quidem iis auctor esse velim, ut vel pauca illa quae *Verwey* in *Nova via* (cujus nuperam editionem doleo mihi non ante recognoscendam datam, quam, cum jam typis plane esset descripta, ita ut juventuti nostrae non alio commodo inservire potuerim, nisi crassiorum erratorum calamo corrigendorum seriem subjungendo) de Dialectis habet, memoriae mandent, adeoque hoc majus opus iisdem tanto minus commendari posse videatur; tamen iis, qui deinde ad aliorum quam qui in scholis exponuntur, Auctorum lectionem progredi cupiunt, ab quorum inspectione difficultate Dialectorum deterrentur, tanto magis utilis hicce erit libellus, quia illo inter legendum duce utentes, quae non adsequebantur, intelligent, et ita usu atque exemplis magis quam regulis memoriter ediscendis sensim in eorum scientiam sese penetrabunt, quae ex regulis disci posse desperaverant. Sed et provectiores, eosque qui Auctores edere parant, non spernendum inde commodum capturos, non est quod multis depraedicem. Quamvis enim satis actum de Dialectis videatur in ampla illa appendice, quam *H. Stephanus* Thesauro suo

adnexuit, satisque grandem verborum per Dialectos mutatorum copiam dederit atque exposuerit *Aemilius Portus* in Lexico Dorico atque Ionico, de quo supra; tamen aliam hujus quem lectori offerimus, libri rationem, alias dotes esse, inspicienti patebit. Stephanus enim circa Atticam Dialectum fere totus occupatur, ac de locutionibus magis quam de singulis vocibus agit, et plus ratiocinationis quam auctoritatum profert; quum Noster contra verborum et auctoritatum copiam Herculeo labore undique conquisitam adferat, inter quae haud pauca deprehendes alibi frustra quaerenda aut difficulter invenienda. Neque tamen hoc ideo praedico, ut praeclarae Stephani operae quidquam derogatum, aut Porti Lexico nos carere posse, indicare velim, sed ut adpareat, nos plenum jam Dialectorum conspectum habituros, si tria illa conjunxerimus; quod enim in uno desideraveris, in altero invenies, vel quod in hoc male exaratum offenderis, ex illo corrigere, aut dubia ex consentientibus duobus ternisve his testibus confirmare licebit.

Excerpta autem ex *Apollonio Dyscolo* quod attinet, haec monenda habeo. Primam eorum copiam mihi fecit Vir Clariss. *Petr. Wesseling*, a quo cum didicissem, exemplar autographum unde haec descripta erant, manu Is. Vossii conscriptum Amstelaedami in bibliotheca Remonstrantium latere, ipsum inspicere et conferre cupiens Clariss. *Jo. Jac. Wetstenium* per literas adii, qui id statim mecum communicavit liberalissime; diligenter itaque cum exemplari Wesselingano contuli, sed non sine admiratione deprehendi, eadem scripturae vitia (exceptis fere decem vel duodecim) a manu Vossiana fuisse profecta; vix duo enim erant versus, in quibus non aberratum esset in spiritibus et accentibus collocandis;

sed et iidem modo additi, modo omissi erant; (in adlatis autem aliorum Auctorum verbis semper aberant accentus) quae quidem leviora, verum et dividenda interdum conjunctim, conjungenda separatim exhibebantur, aliaque ex quibus commodum sensum non elicias; unde conjicere licet, Vossium admodum juvenem haec excerpsisse, nam eum non sic invenisse in Codice Dyscoli, unde ea descripsit, indicio mihi sunt alia, quae eidem libello suo ex aliis inseruerat idem Vossius, aeque vitiose depicta. Vbique autem literae (ι) duo puncta imposuerat, scribens ἀντῒ, περῒ, Δωρϊκῶς etc. quod forte in MS. sic invenit, cujus moris vestigia etiam in editionibus quibusdam veteribus restant, ut in *Luciani* editione Florentina, in qua saepissime scriptum conspicitur ἅπασϊ, αἶτϊον, περϊπαθεῖ, μάλϊστα, ὑπόσχεσϊν, ἔτϊ, saepe vero eadem rursus sine his punctis exhibentur. Manifesta quidem orthographica vitia, quantum per temporis angustiam licuit, correxi, accentusque absentes addidi, deque ea levi nostra opella in notulis interdum monui, ubique monere supervacuum duxi: quaedam autem dedita opera intacta reliqui, ut Vossianae manus vestigia remanerent, quaedam vero divinare non potui, ut p. 422. num ἔγωνγα an ἐγώνγα scriptum invenerit aut voluerit, quum utrumque defendi queat; quare satis duxi ea sic exhibere ut erant; id quod et in aliis difficilioribus observavi, nihil prorsus in contextu immutans, etsi quid vitiosum esse adpareret; ita ut lector pro certo habere possit, ea quae male adfecta restant, sic quoque in MS. fuisse. Plura quidem conjectura adsequi et corrigere potuissem, si majori, quod mihi impositum est, operi tantum detrahere licuisset, aut operae existimassem plus laboris in his collocare, quae jam apud *Maittairium* inveniuntur melius. Cum vero Clar. *Wolfius* in nupera editione fragmentorum *Sapphus* etiam iisdem

his *Dyscoli Excerptis* usus fuerit, curiositati lectorum, qui quidquam antiquorum monumentorum ineditum delitescere dolent, me satisfacturum credidi, si ea, qualiacumque demum forent, hic adderem. Quod si tamen plura hujus generis ab hoc *Apollonio* profecta nondum edita colligere daretur, mererentur profecto quae edantur cum cura; quum is Grammaticorum princeps a *Prisciano* constituatur, cujus auctoritatem sibi in omnibus sequendam existimaverit. De ceteris ejus scriptis, editis atque ineditis ejusque vita atque aetate, quae incidit in tempora *Hadriani* et *Antonini Pii*, pauca adfert Cl. *G. J. Vossius* de Historicis Graecis L. 2. c. 14. plura *Suidas*: plurima Cl. *J. Alb. Fabricius* in Biblioth. Gr. L. V. part. III. c. 7. sive Vol. VII. a pag. 1. ad 8. *) quem consule, si lubet, et vale!

Traject. ad Rhen. ips. Id.
Novemb. 1737.

*) Ex Ill. Harlesii editione Vol. VI. p. 271. ad 278.

Tractatum de Graecae Linguae Dialectis locupletiorem, tanta nempe luculentorum Exemplorum varietate abundantem, tot veterum Grammaticorum et Scholiastarum lectis testimoniis comprobatum, tanta optimorum Oratorum, Poëtarum, Historicorum et Philosophorum Authoritate nitentem, tamque lucido ordine explanatum et illustratum nondum vidi. Quare, cum hoc opus suum, tam doctum, tam elaboratum, tantaque quodammodo pertinacia, arduis tanquam e Rupibus excisum, Scholae Westmonasteriensi, cui se sua omnia debere fatetur sedulus Author, gratitudinis ergo dedicaverit; eundem hunc Ego Tractatum, Regiis omnibus ejusdem Scholae Alumnis, quovis pretio coemendum, similique industria, qua indefessus eum confecit Author, tanquam certissimum Graecae Linguae Oraculum, quotidie consulendum statuo: aliisque omnibus, qui interiores et reconditas literas scrutari amant, commendandum censeo.

XI. Cal. Octob.
Anno Salutis
MDCCVI.

Th. Knipe, S. T. P.
Scholae Westmonasteriensis Archididascalus.

INCLYTAE

SCHOLAE REGIAE

WESTMONASTERIENSI

HVNC

DE GRAECAE LINGVAE DIALECTIS

TRACTATVM,

SVORVM LABORVM PRIMITIAS,

GRATI ANIMI PIGNVS,

EO, QVO PAR EST,

OBSEQVIO

VOVET, DICAT, OFFERT

HVMILLIMVS EIVSDEM OLIM ALVMNVS,

MICH. MAITTAIRE.

יהוה


INSTITUTIO THEOLOGICA
Ps. CXIX. 169.
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

116 30

destiam lacessit; ille Cynicus convitiorum sordibus clarissima et bene merita adspergit Nomina: nec uterque quicquam pensi habet, cujus dignitatem allatret, aut fortunae aduletur, dum mercenariam aucupetur gratiam. Venales homunculi, qui, si qua nummi spes (mira ista corvorum in olores mutatrix) affulserit, nigra in candida vertere parati sunt! Alius Theatris operam locat; et fabula ungues quantumvis anno toto demorsos sapiens uno forsan sibilo exigitur: nusquam enim incertior et iniquior luditur alea, quam ubi morio poetae, funambulus Terentio, Plebeculae clamor Scipionis et Laelii suffragiis palmam saepissime praeripuit. Ego, cui rudius est et tardius ingenium, in literarum elementis me contineo; dumque alii viris placere student, et gloriolae avidi altiorem eruditionem ostentant, ipse pro exigua mea facultate pueris prodesse, vel saltem prodesse conari malo: et ingeniosi nomen, quod nec mereor nec ambio, dignioribus minime invidens, sat ſuperque habeo, si industrius et laboriosus audiam. Labor certe non levis experientibus videbitur in ordinem redigere fluxas Dialectorum Graecarum minutias, quas per jocum facilius et citius eludes, quam sine harum notitia Authorum nodos solves: illis, quarum tot fere species quot Gentium Coloniae, certos quosdam affigere characteres ex ipsis Authoribus petitos, quibus singula quaeque Dialectus ab aliis distinguatur. Quod nemo melius et brevius praestitit, quam Reverendus Busbeius magnus ille sui aevi Quintilianus, accuratissimus Literarum Arbiter et Vindex; qui veterum recentiumque Grammaticorum lites Tyronibus molestissimas composuit, et tenebras dispulit: cujus memoria mihi praesertim (qui ejus institutis et munificentiae me et mea debeo) colenda est, cujus vestigiis ac methodo in subsequenti tractatu ad-

haerere decrevi. Nec certiori magistro et duce uti possum in cognitione Linguae illius nobilissimae: per cujus varias Dialectos omnes propemodum Artes ac Disciplinae, Philosophia, et Theologia orbi erudito innotuerunt. Attica castus Menander et facetissimus Aristophanes in Theatro, Demosthenes Oratorum coryphaeus in foro, Auditorum sensus inflexerunt: Attica Thucydides verborum et sententiarum gravitate locupletissimus Historiam, Divinus Plato Philosophiam illustravit: Attica Sancti Ecclesiae Patres Sanctissimos codices interpretati sunt. Ionica Thales, Democritus, Heraclitus et Pythagoras philosophabantur: Hanc Hippocrates Medicorum, Herodotus Historicorum Princeps, licet alienam, sua vernacula commutavere. Doricam Pythagorei Latio intulerunt, a qua suam *) Romana Lingua duxit originem: Ea Archimedes arenam numerabilem reddidit; Ea Pindarus suam lyram, Theocritus suorum pastorum fistulas, Tragoedi suos choros temperaverunt. Poetica Vates antiqui suam docuerunt mythologiam. His omnibus artificiose et harmonice mixtis Homerus ingens omnis literaturae thesaurus suorum Heroum memoriam immortalitati mandavit. Denique cum Hae etiam Sacris Codicibus passim inspersae occurrant, Nos sane Christiani Lectores Linguis faveamus.

*) Dionys. Halic. Antiq. p. 76. Ῥωμαῖοι δὲ φωνὴν μὲν οὔτ' ἄκραν βάρβαρον, οὐδ' ἀπηρτισμένως Ἑλλάδα φθέγγονται, μικτήν δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν. ἧς ἐστιν ἡ πλείων Αἰολὶς----- Quintil. 1, 6, 31. Etymologia----continet in se multam eruditionem, sive illa ex Graecis orta tractemus, quae sunt plurima, praecipueque Aeolica ratione, cui est sermo noster simillimus-----

PRAEFATIO STVRZII.

In tanta libri Maittairiani de linguae Graecae dialectis celebritate, et in tanto virorum doctorum omnium de insigni eius vtilitate consensu, minus in laudes eius excurrere visum est, quam ingenue de iis, quae forte reprehendi possent, quaedam exponere. Et primo quidem saepe eum corruptis librorum lectionibus deceptum fuisse, Brunckius iam monuit [1]). Jam non ego quidem hoc omnino negauerim, sed nec iis adsentiar, qui, quicquid paulo insolentius dictum in libris veterum repererint, statim mutandum et scilicet emendandum existiment. Cautiores hoc in genere ve-

1) v. Brunckii lectiones in Analecta veterum poetarum Graecorum p. 171.

teres, simpliciter quid inuenissent indicabant, vt Quintilianus [2]) atque alii, qui non doctrinam suam in emendando aliquo vitio ostentare consultum putantes, satis habebant collegisse aliis iudicandi materiam, non vero, vt nimirum ipsi soli viderentur sapere, suum vbique iudicium interponebant. Horum igitur exempla secutus est Maittairius, neque ego ab eius vestigiis longe recessi. Multo enim rarius, quam poteram, lectores de naeuis quibusdam monui, hanc ipsam ob caussam, ne meam ipsis obtrudere eruditionem, aut eos nulla omnino iudicandi facultate praeditos credere viderer. Nondum adeo eneruata aetas nostra ac delumbis censenda videbatur, vt ei, tanquam paruulis a nutrice, praemandi omnia et velut in os inseri esset necesse. Viros, quando cum iuvenibus et viris agunt, non decet ὑποκορίζεσθαι, et alacria ingenia, nisi habeant in quo se exerceant, torpescant oportet. Quare nec illud Maittairii consilium improbandum iudicabam, quo ipsis grammaticorum antiquorum verbis vsus est ad stabiliendam dialecti cuiusque in singulis caussis proprietatem, immo ita probabam, vt etiam augerem illa grammaticorum praecepta, occurrendum ratus mollitiei ac desidiae illorum, qui

2) de institutione oratoria 1, 4. aliisque in locis.

grammaticorum libros, vel quia Graece scripti, vel quia minus commodo ordine compositi sunt, vel quia multis vitiis abundant, prorsus horrent ac fugiunt.

Erunt item alii, scio, qui me grauiter reprehendant, quod in hac noua editione intactum reliquerim ordinem et modum, quo de dialectis Graecorum praecipere Maittairio placuit. Debebas, inquiunt, ad linguam Graecorum antiquam omnia reuocare, non de consonantibus et vocalibus inter se permutatis, vel additis, vel demtis, grammaticorum commenta tradere. Scio non minus, quam hi boni viri, quae vtilitas ex hac ratione oriri potuerit; scio etiam, multo eam mihi faciliorem futuram fuisse. Maittairius enim ipse permulta collegit, quibus is, qui hoc agat, vti eam in rem minimo negotio possit. Sed tamen praetuli Maittairianam, quanquam difficiliorem, rationem, non vna de causa. Primo enim illam, de lingua vetustissima, mihi persuasum erat valde vagam esse et incertam, cum ipse Valckenaerius 3) confiteatur, multa vocabula primitiua nobis periisse, ita vt multorum deriuatorum stirpes non nisi coniectando erui, h. e. confingi, possint, et multorum valde contorta et improbabilis enascatur deriuatio. Dein-

3) in obseruationibus ad origines Graecas p. 33. 37. et saepius.

de multo lucidior et ad discendum facilior apparet haec ratio nostra. Denique eadem multo magis consentanea est reliquarum linguarum, etiam recentiorum, naturae. Nam si quis vel nostrae linguae dialectos ita explicare instituat, vt omnia referat ad pauca illa, quae restant, primitiua vocabula, atque adeo ea, quae non extant, confingat, nemo facile id ferat aut probet. Optime igitur sequimur grammaticum Meermannianum, qui, vbi memorauit dialectum, quam vulgo communem vocant, et sic descripsit: *ἴδιον οὐκ ἔχουσα χαρακτῆρα κοινὴ ὠνομάσθη, διότι ἐκ ταύτης ἄρχονται πᾶσαι*, addit haec: *ληπτέον δὲ ταύτην μὲν ὡς πρὸς κανόνα, τὰς δὲ λοιπὰς πρὸς ἰδιότητα.* 4) Eodem modo qui patriae nostrae linguae dialectos exposuerunt, hoc sibi agendum existimarunt, vt, quomodo singulae differrent ab ea dialecto, qua optimi scriptores vsi reperirentur, ostenderent.

Magis ideo reprehendendus Maittairius videatur, quod dialectum Aeolicam non a Dorica seiunxerit, sed huic immiscuerit: qua de re in introductione quaedam dixi. At, vt alia taceam, cum Aeolica dialectus et egregie sit Doricae similis, et in paucissimis, qui quidem supersunt, ve-

4) p. 313. in Gregorii de dialectis editione Koeniana.

terum libris vsurpata, ita vt eius cognitio vix nisi paucis prosit, qui vniuersas linguae Graecae copias complecti mente cupiant, et, quae fuerint linguae Latinae origines, perspectare: libenter etiam hac in parte rationem Maittairianam probaui, probatamque secutus sum. Minus mihi placere, quod Maittairius quartam operis partem dialectum poeticam inscripserit, in eadem introductione significaui. Cum tamen ipse Cicero 5) *poetas omnino* dicat *quasi alia quadam lingua locutos:* quid impedit, quo minus haec peculiaris et propria dicendi forma, qua oratio poetarum discrepat ab reliquorum hominum oratione, dialectus poetica nominetur? quanquam ego quidem id ab eo, qui proprie loqui velit, aut alios doceat, vt Maittairius in suo libro, vix fieri licere iterum dico.

Verum mittamus haec, vt tandem, quid ego in noua hac editione praestiterim, declarari possit. Scilicet ante omnia, cum Maittairium vidissem scriptorum veterum editionibus iis vsum esse, quae hodie, et in his terris, rarissime adiri et a perpaucis possent, hoc mihi faciendum putaui, vt numeris paginarum, ex editionibus Stephanianis aut aliis rarioribus, vel adscriberem notas li-

5) de orat. 2, 14. extr.

brorum et capitum aliarumue minorum sectionum, quas editores recentiores in magnam legentium commoditatem fecerunt, vel substituerem. Et hoc quidem feci in locis Aeschyli, Apollodori, Arati, Aristophanis, Aristotelis, Ciceronis, Diogenis Laertii, Herodiani historici, Lactantii, Liuii, Lycophronis, Oppiani, Pollucis, Quintiliani, Seruii, Sexti Empirici, Thucydidis, Varronis, et Xenophontis, illud in locis Aesopi, Antonini Liberalis, Appiani, Arriani, Heliodori, Herodoti, Pausaniae, Plutarchi. Sed in Anthologia Graeca apposui librorum et capitum notis numeros voluminum et paginarum editionis Brunckianae, et in Juliano paginis editionis Cramoisianae addidi Spanhemianas, vt Clementis Alexandrini paginis Heidelbergensibus substitui paginas Colonienses, in Demosthene et Dinarcho Reiskianas posui pro paginis editionis Aurel. Allobrog. et H. Stephani. Gazae grammaticam non ex editione Vascosana (1554.), sed e Basileensi (1545.), Phrynichum non ex Hoescheliana, sed e Pauwiana, Priscianum non ex Aldina, sed e Basileensi (1554.), Thomam Magistrum non e Romana, principe quidem, sed e Leidensi, laudaui. Quibus omnibus commoditati aetatis nostrae consulere volui.

Deinde quia viri docti frequenter laudare hunc Maittairii librum, et ita solent, vt non solum pa-

ginas editionis Haganae, quam nos expressimus, sed etiam literas, quibus singulae paginae ad marginem distinctae sunt, indicent: diligenter apponendos suo loco curaui et numeros paginarum illius, quam dixi, editionis, et literas. Nimirum praeter primam editionem, quam Maittairius Londini 1706. emiserat, et quam ipse appellauit suorum laborum primitias, innotuere mihi duae aliae, quarum altera, ab ipso auctore recognita et aucta, prodiit ibidem 1737. 6) altera, quam Reitzius fragmento Apollonii Dyscoli auxit, Hagae Comitis anno 1738. Eam enim, quam titulus ait Londini 1742. exiisse, non nouam censendam esse editionem, apparebit cuiuis, qui eam cum Reitziana contulerit, quippe a qua ne tantillum quidem discrepat, ita vt etiam vltima pagina, quae vitia operarum nonnulla prodit, et librum impressum esse typis Gulielmi Joannis Reers, Traiecti ad Rhenum, ostendit, integra sit seruata. Haec autem nostra editio vt recte videri noua posset, operam dedimus etiam aliis modis.

Nam locos veterum scriptorum et grammati-

6) De hac tamen parum aberat quin dubitarem. Saltem non nisi a Scheidio in animaduerss. ad Lennepii analogiam linguae Graecae p. 233. eam commemoratam videram, nunquam ipse inspexeram.

corum a Maittairio monstratos non solum ipse inspexi, et, si quid erratum deprehendissem, emendaui, sed etiam multa exempla addidi ex optimorum scriptorum libris, et praecepta grammaticorum non parum auxi. Quod vtrumque tamen parcius feci in Attica dialecto, quia haec et prima cognosci a discentibus solet, et tot iam egregiis virorum doctorum obseruationibus illustrata erat, vt nimis nota denuo recoquere valde vererer. Quodsi quis plura cognoscere cupit, facile ea reperire poterit in commentariis doctissimorum interpretum Platonis, Thucydidis, Xenophontis, Aeschinis Socratici, Charitonis, Moeridis, Aristophanis, Tragicorum, et in H. Stephani appendice de Attica dialecto. Sed etiam in reliquis libri partibus cauendum esse intellexi, ne nimis multis additamentis molem voluminis supra modum augerem. Salmasii autem scripta, Valckenaerii et Wesselingii ad Herodotum notae, illius epistola ad Roeuerum, Koenii ad Gregorium obseruata, Mazochii ad tabulas Heracleenses commentarius et lexicon Heracleoticum, et, quem primo loco nominare debebam, Maittairii nostri tractatus de Aretaei dialecto, vt multos alios taceam, abunde suppeditabunt Ionicae quoque dialecto ac Doricae penitius cognoscendae. Conferri etiam magna cum vtilitate possunt Fi-

scheri ad Welleri grammaticam Graecam animaduersiones, quibus et ipse nonnunquam vsus sum, quanquam, vt ingenue fatear, vbi eas consului, saepissime contigit, vt, quos ipse veterum locos congessissem, eosdem ibi quoque collectos inuenirem. Quod ideo moneo, ne quis me illius copiis male et illicito modo vsum esse opinetur. Jam si his omnibus, quae dixi a me addita fuisse, apponi iussissem nominis mei siglam, non modo lectu iniucundus extitisset liber, sed etiam inanis cuiusdam ostentationis crimen effugere vix mihi licuisset. Quam ipsam ob causam pauciora quam poteram addidi de dialecto Alexandrina et Macedonica.

Etiam hoc mihi curae fuit, vt fragmentum Apollonii Dyscoli e Codice MS. prodiret emendatius. Quare, postquam Morellium, virum doctissimum ac de me optime meritum, nihil eam in rem afferre posse intellexeram, et cum a Wyttenbachio, quem de eadem causa precibus adieram, nihil responsi tulissem, confugi ad Haasium, qui Lutetiae Parisiorum est ex iis, quorum curae libri MSS. commissi sunt. Cum vero nec hic, quanquam per literas bis a me rogatus, atque etiam praemiis propositis inuitatus, humanitate indignum putasset, omnino nihil rescribere,

cumque ego, dum non de humanitate omni desperans, et subinde a Codicibus MSS. auxilia exspectans, mensem ex mense praeterlabi paterer, nihil ipse ad emendanda Apollonii verba tentassem: tandem iis contentus esse debui, quae ex Koenii ad Gregorium Corinthium, et Valckenarii ad Theocriti Adoniazusas notis hanc in rem collegissem, quae tamen probe sciebam quam parum sufficerent. Nonnulla etiam, satis quidem tumultuarie, de meis addidi, satis interim habens, viam aperuisse, quam alii parent, terant, muniant. Nam Reitzium nimis oscitanter versatum esse in tractando fragmento Grammaticae nobilissimae, et, quae integra edatur, dignissimae, manifestum et in confesso est. Quanti autem aestimandum sit hoc Apollonii opus, perspicere cuique licebit, qui legerit, et quae ex Isaaci Vossii Codice primus edidit Reitzius, et quae cum viris doctis communicarunt Kusterus 7), Koenius 8), Valckenarius 9), et Ruhnkenius 10). Cognosci

7) ad Suidae lexic. T. I. p. 284.

8) ad Gregor. de dialectis p. 48. 50. 60. bis. 61. bis. 80. 96. 114. 123. 124. 128. 129. 144. 145. 161. a. b. (Cf. Valckenar. ad Theocr. Adoniaz. p. 326. A.) p. 162. (Cf. Valckenar. l. l. p. 305. C.) p. 167. 168. 179. 208. 210. 220. Reliquos locos, vt supra dixi, in notis ad Apollonium indicaui.

9) ad Theocrit. Adoniaz. p. 206. C. 207. A. 278. C. 279. A. De caeteris locis monui paulo ante et in notis.

10) ad Timaei lexicon Platonicum in v. ὦ οὗτος. Add. Albert. ad Hesych. passim.

etiam operis praestantia potest ex indice scriptorum, quorum libros vel in his paucis a Vossio excerptis Apollonius laudauisse reperiatur, a me iisdem subiuncto.

Haec omnia, quibus partim ad emendandum librum Maittairianum, partim ad augendum eundem conferre aliquid conatus sum, vt facilius exequi possem, effecit insignis et laude sua non fraudanda Johannis Augusti Gottlob Weigelii liberalitas, qui e praeclaro, quem possidet, librorum venalium apparatu libenter ac promte mihi libros in hoc literarum genere praestantissimos vel vendidit, vel ad vtendum transmisit, et si quos ipse non haberet, ab amicis studiose atque impigre conquisiuit. Idem cupientibus exempla hujus Maittairiani operis vendenda diligenter curabit. Librarium autem non esse ex vulgarium numero libellionum, neque vllis pepercisse sumtibus, quo digne sua eruditione Maittairius prodiret, oculi docere quemque sui possunt.

Vt denique quantum posset sine vitiis apparerent Maittairii meaque verba, diligenter operam dedit Godofredus Henricus Schaeferus, AA. M. doctissimus, et libris non paucis eruditionem ipsius testantibus clarissimus, cui mecum gra-

tiam habebunt legentes. Quae tamen vel hic sphalmata reliquit, vel ego addenda putaui, eorum indicem affigi operi extremo iussi.

Scripsi Grimae, ipsis Nonis April. A. C. CIↃIↃCCCVII.

BREVIS IN GRAECAE LINGVAE DIALECTOS INTRODVCTIO.

Omnes Linguae Graecae Dialecti ad tres praecipuas commodissime reduci possunt, videlicet Atticam, Ionicam, et Doricam.

His quartam addunt Aeolicam [1]) Clemens Alexandrinus, [2]) Strabo, [3]) Plutarchus, [4]) Constanti-

1) Clem. Alex. Strom. l. 1. p. 338. B. φασὶ δὲ οἱ Ἕλληνες διαλέκτους εἶναι τὰς παρὰ σφίσι, Ἀτθίδα, Ἰάδα, Δωρίδα καὶ Αἰολίδα. [Clemens addidit etiam haec: καὶ πέμπτην τὴν κοινήν. Quam ipsam rationem sequuntur alii multi, vt Gregorius Corinthius p. 5. Schol. Aristoph. ad Plut. 40. Schol. Pind. ad Olymp. 3, 81. Cf. Ge. Guil. Kirchmaieri diss. de dialecto Graecorum communi, Witteb. 1709. 4. Ge. Frid. Thryllitii diss. de dialecto Graecorum communi, et de pronuntiatione latina ex Aeolica repetenda, ibid. eod. 4. et Fischeri animaduersiones ad Welleri grammat. Graec. Vol. I. p. 34. sq. qui hanc dialectum dicit fuisse eam, qua inde a Philippi et Alexandri M. aetate vsi sint Graeci omnes, et indocti in vita communi sermonibusque quotidianis, et docti etiam in scriptis. Haud dubie recte. Quae vero Maittaire infra p. 343 — 372. de vsu promiscuo dialectorum collegit, similia quidem sunt, sed a descriptione dialecti communis modo tradita differunt. *S.*]

2) Strab. l. 8. p. 333. A. ἐπὶ τούτοις μὲν οὖν πολλὰ ἔθνη γεγένηται. τὰ δ' ἀνωτάτω τοσαῦτα, ὅσα καὶ διαλέκτους παρειλήφαμεν. τούτων δὲ αὐτῶν τεσσάρων οὐσῶν - - - -

3) Plutarchus de Dialectis Homeri, de vita et poesi Homeri c. 9 — 12. Verba ipsa leguntur infra p. 364 — 367.

4) Constantin. Porphyr. de Themat. p. 42. ἡ τῶν Ἑλλήνων γλῶττα εἰς πέντε διαλέκτους διῄρηται. πρώτην μὲν τὴν τῆς

nus Porphyrogenneta; 5) Apollonius Dyscolus, 6) Johannes Grammaticus, Gregorius Corinthius, 7) Tzetzes, et plerique omnes Grammatici. Quoniam vero illa (uti ipse docet 8) Strabo, 9) Eustathius, et

Ἀτθίδος, δευτέραν τὴν τῶν Ἰώνων, τρίτην τὴν Αἰολέων, τετάρτην τὴν Δωριέων, πέμπτην δὲ τὴν κοινὴν, ᾗ πάντες χρώμεθα. καὶ ἀπὸ μὲν τῆς Μιλήτου μέχρι τῆς Ἐφεσίων πόλεως, καὶ αὐτῆς Σμύρνης, καὶ Κολοφῶνος, Ἰώνων ἐστὶ κατοικία, οἵτινες τῇ τῶν Ἰώνων διαλέκτῳ χρῶνται. ἀπὸ δὲ Κολοφῶνος μέχρι Κλαζομενῶν, καὶ τῆς ἀντιπέραν τῆς Χίου γῆς, καὶ αὐτῆς τῆς Μιτυλήνης, καὶ τοῦ Περγάμου, Αἰολέων ἐστὶν ἀποικία, οἵτινες διαλέκτῳ χρῶνται τῶν Αἰολέων. τὰ δὲ ἐπέκεινα τούτων ἀπὸ τοῦ λεγομένου Σηστοῦ καὶ ἕως Ἀβύδου καὶ αὐτῆς Προποντίδος, καὶ μέχρι Κυζίκου, καὶ τοῦ ποταμοῦ Γρανίκου, πάντες Γραικοὶ ὀνομάζονται, καὶ κοινῇ διαλέκτῳ χρῶνται, πλὴν Βυζαντίων, ὅτι Δωριέων ἐστὶν ἀποικία.

5) Suidas. Ἀπολλώνιος, ὁ κληθεὶς Δύσκολος, ἔγραψε περὶ διαλέκτων, Δωρίδος, Ἰάδος, Αἰολίδος, Ἀτθίδος.

6) Johan. Gram. et Gregor. Corinth. in tractatu de Dialectis. [Ita enim, Gregorius Corinthius, non Corinthus, appellandus est auctor libelli de dialectis, quem egregiis notis illustratum edidit Gisbertus Koen, Lugd. Bat. 1766. 8. Et mirum sane est, verum Gregorii nomen tam diu tamque multis viris doctissimis ignotum fuisse, cum iam Constantinus Lascaris antiquissimae editionis, circa annum 1480. factae, margini superiori in exemplo illo, quod *Iriarte* in Regiae bibliothecae Matritensis Codicibus Graecis Mss. Vol. I. p. 144. b. descripsit, pro nomine Κορίνθου adscripsisse reperiatur Γρηγορίου ἐπισκόπου Κορίνθου, cumque non in vno Codice Meermanniano, (v. Koen. praefat. p. XIII.) sed etiam in pluribus, vt in Cod. XCV. apud Iriartium p. 372. b. diserte scriptum extet: Γρηγορίου, Μητροπολίτου Κορίνθου. Hic igitur Gregorius profitetur, se iis quoque vsum esse, quae Johannes Philoponus (quem Maittaire cum aliis Grammaticum vocat) collegisset. Excerpta huius Johannis inserta leguntur Constantini Lascaris grammaticae Graecae, quae saepissime edita fuit. Et ego quidem vsus sum editione Veneta 1698. 8. ubi excerpta ista extant p. 359 — 388. *S.*]

7) Tzetzes in Hesiod. p. 7. His adde Servium in Virgil. Aen. 3. v. 122.

8) Strab. l. 8. p. 333. A. τὴν Δωρίδα τῇ Αἰολίδι τὴν αὐτὴν φαμέν.

9) Eustath. in Hom. p. 8. l. 41.

innuere videtur [10] Pindarus) Doricae est valde affinis et quam simillima; ad Doricam una cum multis aliis referendam esse, nec seorsim tractandam, sentio. Mihi etiam hujus sententiae Author est in primis [11] Doctissimus Busbeius, qui non plures, quam tres Dialectos proprie dictas recensuit. [Neque valde reprehenderim ego quidem, quod Maittaire hanc Busbeii aliorumque rationem sibi probari ostendit. N. non solum secutus est sat graues auctores, Strabonem et Pindarum, quibus addi possunt Pausanias 9, 22. p. 753. ed. Kuhn. et Suidas in v. Πίνδαρος, Pindarum dicentes vsum esse Dorica dialecto (Cf. Gregor. de diall. p. 170. sq. cum nota Koenii), sed nec neglexit Aeolicam prorsus, immo vna cum Dorica tractauit. Praeterea ne veteres quidem consensisse reperiuntur, quinam potissimum sint praecipui Graeciae populi censendi. Certe Cicero pro Flacco c. 27. auctor est, vere tria esse Graecorum genera, quorum vni sint Athenienses, quae gens Ionum habita fuerit: Aeoles alteri: Dores tertii sint nominati.

Cum vero Maittaire nihil monuerit de ipsius nominis διάλεκτος vario apud veteres scriptores vsu et potestate, neque de dialectorum origine ac diuisione exposuerit: pauca quaedam de his inserere h. l. vbi de dialectis in vniuersum et speciatim agitur, necessarium visum est. Nam tota haec quaestio est historica, multumque conferre potest et ad illustranda ea, quae modo de dialecto Dorica et Aeolica dicta sunt, et ad ostendendum errorem Maittairii et aliorum, qui, non dicam communem, sed poeti-

10) Pind. Olymp. Od. 1, 26. Δωρίαν ἀπὸ Φόρμιγγα πασσάλου λάμβανε. et v. 164. ἐμὲ δὲ στεφανῶσαι κεῖνον ἱππικῷ νόμῳ Αἰοληΐδι μολπᾷ χρή.

11) Rudim. Graeco-Lat. Metr. Quidni haec rusticitas et caetera, propria Dorum est? Contra, Grammatici: quibus est sua gratia - ---

cam adeo dialectum (v. pag. XLVII.) finxerunt. Scilicet nomen διάλεκτος, quod pueri norunt, est adiectiuum proprie, et vel a verbo medio διαλέγεσθαι, h. e. *disserere*, deducitur, ita vt sit *elocutio*, *oratio*, vel *sermo*, *colloquium*, vt apud Aristot. de poetica c. 4. τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους, et apud Plat. in Phaedro T. III. opp. ed. Steph. p. 203. A. ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους, vel ab actiuo διαλέγειν, h. e. *discernere*, deriuatur, atque adeo declarat primo τὴν τῆς φωνῆς τῇ γλώττῃ διάρθρωσιν, auctore Aristotele hist. animall. 4, 9. h. e. *vocem articulatam* et linguae hominis propriam, et sic intelligi debet nomen φωνή, quod addidit Plutarch. in Coriolan. c. 38. ἔναρθρον φωνὴν καὶ διάλεκτον. Deinde significat, intellecto substantiuo γλῶττα, *linguam* et *loquendi rationem eiusmodi, qua natio a natione discernitur*, vt apud Diodor. Sicul. 3, 12. στρατιωτῶν ταῖς διαλέκτοις διαφόρως χρωμένων. Act. 22, 2. τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ. Denique indicat *sermonem, quo inter se discernuntur populi eadem lingua vtentes.* Atque sic vtimur vocabulo διάλεκτος hoc loco. Nam lingua Ἑλληνική, h. e. antiquissima et primitiua Graecorum, (v. Clem. Alex. stromm. 6, p. 679. A.) quae eadem κοινή vocatur a Moschopulo ad Hesiod. p. 10. b. fuit ea, qua olim Thessali, inprimis Phthiotidis incolae, et Macedones locuti sunt. Haec lingua deinde, incertum quo tempore, peperit duas dialectos, Ionicam, quae non diuersa tum esset ab Attica, et Doricam siue Aeolicam. Postquam vero Iones, duce Neleo, Codri filio, eam regionis in Asia maritimae partem, quam antea Cares et Leleges incolebant, occupauerant, lingua eorum differre ab Attica coepit, et Ionica dicta est. Eodem modo cum Aeoles in Asiam migrassent, et regionem, cui nomen antea fuerat Mysia, vrbibus frequentassent, dialectus orta est Aeolica. v. quae lau-

datis veterum locis dixi in diss. de dialecto Alexandrina, Lips. 1786. 4. edita, p. 11. sqq. Ex his intelligitur, dialectum nasci et esse non posse, nisi sit populus, qui per eam distinguatur et secernatur a populis et ciuitatibus eiusdem gentis ac nationis aliis. Itaque apparet, proprie dialectum communem dici non posse, sed linguam communem, quae fuerit antiquissimorum Hellenum, cum nondum diuisi essent in duos quatuorue populos, et multo minus cogitari posse de dialecto quadam poetica, cum nullus vnquam fuerit poetarum populus, sed poeticum stylum potius appellandum esse cum Salmasio de Hellenistica p. 134. Jam quia Jamblichus de vita Pythag. c. 34. §. 243. Doricam dialectum dicit omnium esse vetustissimam, quam secutae sint Aeolica, Ionica, Attica, et qua vsus sit Orpheus, poetarum antiquissimus, cumque Johannes Grammat. p. 363. et Grammaticus Leidensis p. 301. et Meermannianus p. 314. et Gregorius p. 5. Pindarum dicant τῇ κοινῇ vsum esse: videtur inde recte posse colligi, Pindarum scripsisse ea lingua, quae proxime accederet ad antiquissimam illam Hellenum, quam supra descripsimus, et a qua omnium minime recesserit dialectus Dorica, siue, quae eadem olim fuit, Aeolica. Ex his explicari possunt non solum verba Pindari ipsius, a Maittairio allata, sed etiam haec Eustathii ad Odyss. λ, p. 1702. l. 3. *ὡς δὲ οἱ Δωριεῖς ἔχαιρον καὶ Αἰολίζοντες, δηλοῖ Πίνδαρος, ἀναμὶξ οὕτω ποιῶν, ἤτοι καὶ Δωρικῶς γράφων καὶ Αἰολικῶς. S.*]

DIALECTVS ATTICA

Ea est, qua usi sunt Athenienses, inter quos extiterunt insignissimi 1) Plato, Thucydides, Xe-

1) Dionys. Hal. tom. 2. p. 130. l. 28. Θουκυδίδης τῆς Ἀτθίδος ἄριστος κανών. Sic Photius in Biblioth. Cod. 158. p.

nophon, Demosthenes cum caeteris Oratoribus, Aristophanes, Aeschylus, Sophocles, et Euripides, cum plurimis aliis Comicis et Tragicis.

[2]) Attica autem lingua alia est recens; alia est antiqua, quam excoluerunt Plato, Thucydides et Aristophanes.

60. Johan. Gram. κέχρηται Ἀτθίδι διαλέκτῳ Θουκυδίδης, Μένανδρος, Πλάτων, καὶ οἱ ἀρχαίας κωμῳδίας ποιηταί. Diog. Laert. 2, 57. Ξενοφῶν Ἀττικὴ μοῦσα ἐκαλεῖτο. Photius de Phrynicho Cod. 158. εἰλικρινοῦς καὶ καθαροῦ καὶ Ἀττικοῦ λόγου κανόνας καὶ στάθμας καὶ παράδειγμά φησιν ἄριστον Πλάτωνά τε καὶ Δημοσθένην μετὰ τοῦ Ῥητορικοῦ τῶν ἐννέα χοροῦ, Θουκυδίδην καὶ Ξενοφῶντα, καὶ Αἰσχίνην τὸν Λυσανίου, Κριτίαν τε καὶ Ἀντισθένην, τὸν μέντοι Ἀριστοφάνην μετὰ τοῦ οἰκείου, ἐν οἷς Ἀττικίζουσι, χοροῦ, καὶ τῶν τραγικῶν Αἰσχύλον τὸν μεγαλοφωνότατον, καὶ Σοφοκλέα τὸν γλυκὺν, καὶ τὸν πάνσοφον Εὐριπίδην. Dionys. Halic. tom. 2. p. 82. l. 19. Λυσίας τῆς Ἀττικῆς γλώττης ἄριστος κανὼν, οὐ τῆς ἀρχαίας, ᾗ κέχρηται Πλάτων καὶ Θουκυδίδης, ἀλλὰ τῆς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐπιχωριαζούσης, ὡς ἔστι τεκμήριον τοῖς τε Ἀνδοκίδου λόγοις καὶ τοῖς Κριτίου καὶ ἄλλοις συχνοῖς. Demosthenes, quo ne Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas. Cicer. Orat. c. 7.

[2) De duplici dialecto Attica v. H. Steph. de dialecto Attica p. 235. Bernardus ad Thom. Mag. p. 579. Valckenar. ad Eurip. Phoenn. p. 22. inprimisque Pierson. praefat. ad Moerid. p. XXVI. sqq. et quos laudat Fischer. ad Weller. Vol. I. p. 41. sq. Sed rectissime fortasse sentiunt, qui, vt Fischerus l. l. praeeunte Grammatico Leidensi et ad eum Koenio p. 305. tres dialecti Atticae aetates fuisse existimant. *S.*]

DIALECTVS IONICA

Ea est, qua usi sunt (ut plurimum) Incolae Asiae minoris, et insularum quarundam adjacentium.

Eadem est ac Vetus Attica. Strabo l. 8. p. 333. A. τὴν Ἰάδα τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι τὴν αὐτὴν φαμεν· καὶ γὰρ Ἴωνες ἐκαλοῦντο οἱ τότε Ἀττικοί. hunc Strabonis locum citat Eustathius in Dio-

nys. Περιηγ. p. 61. Cf. ad Il. α, p. 8. et Joh. Grammat. p. 564.

Herodotus Iones sic quadrifariam partitur 1, 142. γλῶσσαν δὲ οὐ τὴν αὐτὴν νενομίκασι, ἀλλὰ *) τρόπους τέσσερας παραγωγέων. Μίλητος μὲν οὖν πρώτη κέεται πόλις πρὸς μεσαμβρίην· μετὰ δὲ, Μυοῦς τε καὶ Πριήνη· αὗται μὲν ἐν τῇ Καρίῃ κατοίκηνται, κατὰ ταυτὰ διαλεγόμεναί σφι. αἵδε δὲ ἐν τῇ Λυδίῃ· Ἔφεσος, Κολοφὼν, Λέβεδος, Τέως, Κλαζομεναὶ, Φώκαια. αὗται δὲ αἱ πόλιες τῇσι πρότερον λεχθείσῃσι ὁμολογέουσι κατὰ γλῶσσαν οὐδὲν, σφὶ δὲ ὁμοφωνέουσι. ἔτι δὲ τρεῖς ὑπόλοιποι Ἰάδες πόλιες. τῶν αἱ δύο μὲν, νήσους οἰκέαται, Σάμον τε καὶ Χίον· ἡ δὲ μία ἐν τῇ ἠπείρῳ ἵδρυται, Ἐρυθραῖ. Χῖοι μέν νυν καὶ Ἐρυθραῖοι κατὰ τωὐτὸ διαλέγονται, Σάμιοι δὲ ἐπ' ἑωϋτῶν μοῦνοι. Οὗτοι χαρακτῆρες γλώσσης τέσσερες γίνονται.

[*) Quos Herodotus h. l. τρόπους τέσσερας παραγωγέων vocat, et paulo post χαρακτῆρας γλώσσης τέσσερας, pro iis Grammaticus Leidensis, p. 303. dicit μεταπτώσεις δ'. v. Koen. ad Gregor. p. 233. et Fischer. l. l. p. 39. [S.

Salmasius in libro de Hellenistica c. 7. p. 427. scribit, Iones Athenis profectos, cum eandem linguam haberent cum Atthide prisca, statim ac versari cum Caribus *) βαρβαροφώνοις coeperunt et Lelegibus, loquelam suam plane ἐκβαρβαρῶσαι. tunc ἑωϋτὸς dixerunt, λόγοισι, τρῶμα, Πηληϊάδεω, κραδίη, δεσπότεα et alia infinita, quae barbariem redolent, ἀπελέσθαι quod Barbarum est; ita enim Scytha apud Aristophanem Thesmoph. 1016. 1125. 1137. pronunciat πυλάξῃ, παίνεται, κεπαλή. Cf. infra p. 159.

*) Hom. Ιλ. β. v. 867. Καταλ. v. 374.

Idem etiam Atticis contigisse scribit Athenaeus

p. 122. A. Μακεδονίζοντας οἶδα πολλοὺς τῶν Ἀττικῶν διὰ τὴν ἐπιμιξίαν.

Ionice scripserunt: [1]) Abderitae, [2]) Abydenus historicus, [3]) Agathocles Babylonius historicus, [4]) Agathocles Cyzicenus historicus, [5]) Alexander Ephesius historicus, [6]) Amasis Rex Aegypti, [7]) Anacreon Teius poeta, [8]) Anaxarchus Philosophus, [9]) Anaximander Milesius historicus, [10]) Anaximenes Milesius philosophus, [10.b]) Antimachus Colophonius, [11]) Aretaeus Cappadox medicus, [12]) Aristoxenus Pythagoreus, [13]) Arrianus historicus in In-

1) Senatus populique Abderitani Epistola ad Hippocratem apud 8. Sect. Hippocr. p. 5.

2) Hujus fragmentum habetur apud Euseb. Praepar. Evang. 9, 12. 14. 41.

3) Athen. p. 375. F. lege Casaub. notas p. 649.

4) Athen. p. 649. F.

5) Steph. de Vrb. in Χαονία.

6) Hujus Epistola ad Polycratem Sami Principem extat apud Epistol. Graecan. p. 455.

7) Ἀνακρέων ἔγραψεν Ἰάδι πάντα διαλέκτῳ. Suid.

8) Hujus fragmentum nobis servavit Clem. Alex. Strom. I. 1. p. 287. A.

9) Ἀναξίμανδρος ἱστορικὸς Μιλήσιος, τῇ Ἰάδι γεγραφώς. Diog. Laert. 2, 2.

10) Hujus Epistolae duae ad Pythagoram leguntur apud Diog. Laert. 2, 4. et 5.

10.b) Hujus reliquias collegit Car. Adol. Gottl. Schellenberg, Halae 1786. 8.

11) Aretaeus natione Cappadox fuit, in qua regione, licet barbara, tres tamen Gentes Graecae, Dorica, Ionica, et Aeolica floruere. — Sua patria Lingua Ionica scribit. Jun. Paul. Crass. Praef. in Aret. apud Med. Art. Princ. [De Maittairii ipsius in Aretaeum meritis pauca dixi in praefatione. *S.*]

12) Hujus nonnulla occurrunt apud Stob. Serm. p. 132.

13) διαλαμβάνει τὸν τοῦ Νεάρχου περίπλουν Ἰωνικῇ φράσει, ἡ ἐπιγραφομένη αὐτῷ ἰδίως Ἰνδική. Phot. Biblioth. Cod. 91. p. 214.

crates Cous medicus, *) Homerus, 7) Lucianus Samosatenus sophista, 8) Megasthenes historicus, 9) Menecrates Xanthius historicus, 10) Menippus Pergamenus geographus, 10.b) Mitylenaei, 10.c) Parmenides, 11) Pherecydes Syrius Philosophus, 12) Phoenix Colophonius poeta, 13) Pittacus Mitylenaeus unus e septem sapientibus, 14) Protagoras Abderita vel Teius philosophus, 15) Pythagoras Samius philoso-

*) v. Grammaticus Leidensis p. 303. et Gregor. p. 4.

7) Ionice scripsit tractatus duos de Astrologia, et Syria Dea.

8) Hujus fragmentum ex Abydeno affert Euseb. in Chron. p. 49. Ionice aut scriptum ab ipso Megasthene, aut ab Abydeno versum.

9) Hujus locus legitur apud Dionys. Halic. Antiq. p. 38.

10) Hujus periplum citat Steph. de Vrb. in Χαλδία. de quo Ger. Joh. Voss. in Hist. Gr. l. 3. p. 388.

10.b) Lege eorum concionem apud Thucyd. 3, 9—14.

[10.c) Parmenidis Eleatae fragmenta edidit Ge. Gust. Fülleborníus, Zullichau. 1795. 8. *S.*]

11) Pittaci auditor fuit. Diog. Laert. 1, 116. Hujus epistola ad Thaletem apud Eund. 1, 122. et fragmentum apud Scholiast. (cujus nomen Steph. de Vrb. in voce Ἄβαρνος notat fuisse Sophoclem.) Apollon. Argon. 3, 1185. et Athen. p. 470. C. At forsan hoc ad Pherecydem Historicum, illa ad Philosophum pertinet; duos enim fuisse Pherecydas monet Ger. Joh. Voss. in Hist. Gr. l. 1. c. 1. et l. 4. c. 4. [Omnino v. Pherecydis fragmenta, a me cum Acusilai fragmentis edita Gerae 1789. 8. *S.*]

12) Hunc citat Athen. p. 530. sq.

13) Ejus Epistola Ionismo et Dorismo aut Aeolismo mixta ad Croesum extat apud Diog. Laert. 1, 81.

14) De eo lege Diog. Laert. 9, 50. sqq. et Steph. de Vrb. in Ἄβδηρα. Hujus fragmentum affert Plutarchus in libro de consolatione ad Apollonium (T. VII. p. 360.) p. 118. E.

15) Hujus dicta quaedam apud Diog. Laert. 8, 9. sq. et Epistola ad Anaximenem apud Eund. 8, 49. Ionice loquitur apud Lucian. in Vit. Auct. et ibidem Ἰωνικὸς vocatur p. 360. 361. 362. 363.

phus, [16]) Asinius Quadratus historicus, *) Teii, [17]) Thales Milesius unus e septem sapientibus, [18]) Thessalus Hippocratis filius, [19]) Thrasybulus Milesiorum tyrannus, [20]) Vranius historicus, [21]) Xanthus Lydus, [22]) Xenophanes Colophonius poëta.

16) Ejus Chiliadem Romanam citat Steph. de Vrb. in Ἰβηρίαι. Κοδράτος, Ῥωμαῖος ἱστορικὸς, ἔγραψεν Ἰάδι διαλέκτῳ ἱστορίαν Ῥωμαϊκὴν ἐν βιβλίοις ιέ. ἐπέγραψε δὲ χιλιετηρίδα. Suid.

*) Lege Teïorum diras apud Chishul. Antiq. Asiat. p. 99.

17) Thaletis Epistolas ad Pherecydem et Solonem legimus apud Diog. Laert. 1, 43. sq.

18) Thessali oratio ad Athenienses habetur apud 8. Sect. Hippocr. p. 25.

19) Thrasybuli Epistola ad Periandrum apud Diog. Laert. 1, 100. lege Eund. 1, 95. et Herodot. 1, 20.

20) Vranii fragmenta exhibet Steph. de Vrb. in Ἀβασηνοὶ et Ἐρυθρά.

21) v. p. XXXVIII. ad not. 16.

22) Hunc citat Athenaeus p. 54. E. etc.

DIALECTVS DORICA

Est ea, qua usi sunt Dores; sub quorum generali nomine omnes diversae illius Dialecti species [lege p. 265. usque ad p. 282.] includuntur.

Vrbes Doricas et Aeolicas enumerat Herodotus 1, 144. 149.

Andreas Schottus in suarum observationum Poët. libro 2. c. 50. Doricam Dialectum duplicem esse, veterem et novam, probat ex Veteri Theocriti Manuscripto; ubi haec reperiuntur verba — Θεόκριτος κέχρηται Ἰάδι διαλέκτῳ καὶ Δωρίδι τῇ νέᾳ. δύο γάρ εἰσι, παλαιὰ καὶ νέα καὶ ἡ μὲν παλαιὰ τραχεῖα τίς ἐστι καὶ ὑπέρογκος καὶ οὐκ εὐνόητος· ἡ δὲ νέα, ᾗ καὶ Θεόκριτος χρῆται, μαλθακωτέρα, παρὰ τοῦ Ἐπιχάρμου καὶ Σώφρονος. οὐ μὴν ἀπολιμπάνεται καὶ Αἰολίδος. [Sed fere eadem dudum edita erant in editione Theocriti Ro-

mana, quam Zachar. Calliergus curauit 1516. 8. post argumentum idyllio primo praefixum. Cf. Koen. ad Gregor. p. 165. qui docet, Valckenarium pro παρὰ τοῦ bene rescripsisse παρὰ τήν. *S.*]

Dorice scripserunt *) Aetoli, 1) Arcades, 2) Argivi, 3) Boeoti, 4) Byzantii, 5) Coi, †) Corcyrei, 6) Corinthii, 7) Cretenses, ††) Dodonaei Jouis Ora-

*) Lege Aetolorum Decretum apud Chishul. Antiq. Asiat. p. 104.

1) Philopoemen Mantineensis dicitur Δωρίζειν apud Plut. in ejus Vita c. 2. p. 357. A.

2) Argivorum foedus legitur apud Thucyd. 5, 79.

3) Boeotum in scenam inducit Aristophanes in Acharnens. 860 sqq.

4) Byzantiorum decretum extat apud Demosth. p. 255. sq.

5) Lege prius, Ionic. Dialect. p. XXXIX. not. 6.

†) Lege Corcyreas Inscript. apud Montfauc. Diar. Italic. p. 412.

6) Consule Theocr. Idyll. 15. v. 91. 92. 93.

7) οἱ Κρῆτες Δωριεῖς ἐκαλοῦντο. Steph. de Vrb. in Δώριον. Exhibetur foedus inter Hierapytnios et Priansios, Cretae populos, initum apud Marm. Oxon. p. 15. et Gruter. Inscript. p. 505. Ibidem legitur foedus inter Allariotas et Parios. Johan. Gramm. p. 382. Διαφέρει ἡ τῶν Κρητῶν διάλεκτος, ᾗ νῦν κέχρηται Κυψέλας, καὶ ἡ τῶν Λακώνων, ᾗ κέχρηται Ἀλκμάων, Σώφρων. ἡ μέντοι Πινδάρου καὶ Ἰβύκου καὶ Σιμωνίδου καὶ Βακχυλίδου παντελῶς αἰνεῖται, διὰ τὸ μὴ Δωριεῖς εἶναι τῇ φύσει τοὺς ποιητὰς, χρῆσθαι δὲ μόνον τῇ διαλέξει.

††) Inter Cretenses populos numerandi sunt Eleutharnaie, Istronii, Sybritii, Saxii, Rhaucii, Arcades (fuerunt enim Arcades in Creta, uti et in Peloponneso), Cnosii, Polyrrhenii, Cydoniatae, Lappaei, Latii, Gorcynii, Olontii. De quibus lege Marm. Oxon. p. 594. 595. Et quorum Decreta lege apud Chishul. Antiq. Asiat. p. 108. usque ad p. 137.

cula, 8) Lacedaemonii, 9) Locri, 10) Megarenses, 11) Messenii, 12) Poetae Tragici in suis Choris, 13) Pythagorei, 14) Rhodii, 15) Siculi, 16) Alcaeus

